UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Devoti Admodùm Et Consolatione Pleni Confessionales Psalmi Septem

Isidorus <A Cruce>

Dillingæ, 1675

Psalmus III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53188

Visual Library

PSALMUS III.

HEu mihi misero, quia iratum constitui adversùm me Redemptorem meum, & legem ejus contumaciter neglexi!

Iter rectum sponte deserui, & sicut ovis renuens pastorem suum, per loca arida & inaquosa, longè, latéque circumactus sum.

Errans in invio & non in via, *a* aspera quæque & in accessa penetravi, & ubique tribulatio & angustiæ.

In via iniquitatis & perditionis lassatus sum, *b* & ambulavi vias

C diffi-

a *Psalm.* 106. b *Sap.* 5.

difficiles, quærens requiem, & non inveniens.

Quia non te Domine quærebã, sed in terra sterili & regione mortis, ubi nulla requies, sed labor continuus & afflictio spiritûs inhabitat.

Cùm in honore essem, non intellexi; *a* sed quasi unus ex gregibus brutorum, inter lustra ferarum fuit incolatus meus.

In anxietatibus cum voluptatibus moratus sum, & in sentibus cubile meum stravi.

Et obdormivi in interitu, & speravi requiem in tormentis.

Nunc verò quid agam? Quò me in tantis periculis vertam?

Spes

a *Psalm.* 48.

Spes adolescentiæ meæ corruerunt omnes, & factus sum naufrago simillimus, qui mercibûs amissîs nudus enatat, jactatus ventô & pelagô.

Elongatus sum à portu, & viam salutis non apprehendo, sed rapior sinistrorsum.

Retia mihi disposuit hostis, quocunque ibam, & pedibus meis laqueos tetendit.

Ego autem despexi, & incessi securus inter lubrica, & in peccatis meis mihi blanditus sum.

Credidi, juventutem mortis lege non teneri, & hâc fiduciâ deceptus, abii post turpia carnis meæ desideria.

Et ultra modum sensualitati habenas relaxavi, sequens eam, quocumque me ferebat impetus. Et dixi insipiens in corde meo : *a*

QUID ANTE MEDIUM DE EXTREMIS COGITAS ?

LONGA TIBI RESTAT DIES: CONVERTI POTERIS, CÙM VOLES.

Sic inveteravi in peccatis, & consuetudo pessima versa est in naturam.

Jámque velut peccati mancipium, catenatus illi servio ; & quasi phreneticus odiens carnem suam, cùm sibi ipsi manus inferre laborat, deliberationis ratione sopitâ.

Sic ego graviùs & periculosius odivi

a *Psalm.* 52.

odivi animam meam : siquidem nefarias & violentas manus sibi ipsi injecit impœnitentia cordis mei.

Et peccandi obstinata voluntas, Infœlicem animam meam propriîs manibûs laceravit, & exulceravit.

Atque ita gehennæ cumulos mercatus, indies magìs secundùm duritiem meam, & impœnitens cor meum thesaurizo mihi iram in die iræ.

Vetustum jugum à me excutere aliquando tentavi, sed non valeo, quia inhæret ossibus meis.

O si tandem excidat à collo meo, ut te diligam vel serò!

Excidet quidem, si tu jusseris Domine, & auxilium mihi miseris ex alto.

Non merui, fateor: sed tu largitor optime, qui solem tuum æqualiter oriri facis super bonos & malos, & indignis etiam non poscentibus bona temporalia concedis, quomodo spiritualia petentibus denegabis?

Miserere ergo mei DEUS meus, & imple petitionem pauperis!

Qui dives es in misericordia, ac soles in hilaritate misereri, & purgas voluntatem à consuetudine mala.

Et exaudis gemitus compeditorum, & solvis à vinculis, quæ nobis

nobis fecimus, si non erigamus adversùm te cornua falsæ libertatis.

Operi manuum tuarum porrige dexteram, ut non, cùm cecidero, collidar.

Et collisus detrahar in profundum laci, in quo non est aqua ablutionis.

Libera me de ore leonis truculenti ad prædam parati,, & animæ ferociter inhiantis, ut devoret.

Protector enim meus, & liberator meus tu solus es, & in sola misericordia tua tota spes mea est.

Fiat igitur misericordia tua super me, quemadmodum speravi in te!

Speravi, & non confundar, *a* sed voti mei compos cantabo tibi:

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

a *Psalm.* 30.